

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1258

Auteur(s) : Guillaume Robert [particulier]

Bénéficiaire(s) : Grégoire de Naples, Bayeux (doyen chapitre cathédral)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1273, décembre

Lieu d'émission : Thaon

Action juridique : vente

Langue du texte : latin

Analyse

Guillaume Robert, vend, pour 80 livres tournois, et garantit à Grégoire de Naples, doyen de Bayeux, une portion de dîmes et le droit de patronage d'une autre portion à Bombanville, paroisse de Thaon. (En marge : «Ad obitum Gregorii episcopi.»)

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° CCCCLXXXIII, t. 2, p. 222-223.

Texte établi d'après a

Sciant omnes præsentés et futuri quod ego Willelmus Roberti vendidi, concessi, penitus et dimisi venerabili viro et discreto Gregorio de Neapoli, decano Baiocensi, pro octoginta libris Turonensibus quas ego Willelmus ab eodem decano habui et recepi in peccunia (sic) numerata, quandam portionem cujusdam decimæ, una cum jure patronatus cujusdam alterius portionis, quæ quidem portio clerico, pro beneficio ecclesiastico, ad meam præsentationem, et prædicti decani, et ejus prædecessorum collationem assignari consuevit ; quæ omnia habebam et possidebam annui redditus, ratione hæreditatis meæ, in feodo Gaufridi dicti Peurel apud Baubenvillam, in parrochia de Thaone, cum omni jure et dominio quæ habebam et habere poteram, ratione meæ hæreditatis prædictæ : tenendam, et habendam, et jure hæreditario in perpetuum possidendam, libere, pacifice et quiete, dicto decano et suis hæredibus, sine contradictione et reclamatione mei et meorum hæredum de cetero faciendis. Quam decimam, cum dicto jure et dominio patronatus, dictus decanus, et sui hæredes, quocumque statu fuerint, sani vel infirmi, poterunt dare, vendere, et elemosinare cuicumque et quandomcumque voluerint et sibi videbitur expedire. Et ego præfatus Willermus, et hæredes mei, tenemur et debemus præfato decano et suis hæredibus, vel cuicumque dare, vendere vel elemosinare voluerint, prædictam decimam cum prædicto jure patronatus, garantizare, deliberare, et defendere, et excambiare alibi in nostra hæreditate acquisita et acquirenda, et super hoc ipsum decanum, et suos hæredes, et eos quibuscumque dare, vendere, vel elemosinare voluerint, erga omnes et in omnibus indempnes servare, pro denariis quos habui supradictis. Et, ut hoc præsens roboris firmitatem obtineat in perpetuum, sigilli mei munimine confirmavi. Actum et datum, mense decembris, coram parrochia prædicta, anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo tertio.